



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Lvitprandi Ticinensis Diaconi Opvscvlvm, De Vitis
Romanorvm Pontificvm**

Liutprandus <Cremonensis>

Mogvntiae, 1602

XXIX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11115

Mart. sepultus est in cimiterio Calixti via Appia. 8. Kalend. Septemb. Et cessauit Episcopatus dies 35.

XXIV.

STEPHANVS, natione Romanus, ex patre Iobio, sedit annis 6. mensib. 5. dieb. 2. Hic constituit sacerdotes & Leuitas, ut vestibus sacratis non nisi in Ecclesia vterentur. Martyrioq; coronatus sepultus est in cimiterio Callisti via Appia, 4. nonas Aug. Quo tempore fuit magna persecutio sub Decio.

XXV.

XISTVS, natione Græcus ex Philosopho, sedit anno 1. mens. 10. diebus 26. Martyrioq; coronatus sub Valeriano 8. Kalend. Aug Post cuius passionem tertio die passus est B. Laurentius archidiaconus. Denique beatus Xistus sepultus est in cimiterio B. Calixti via Appia. Et cessauit Episcopatus diebus 35.

XXVI.

DIONYSIVS, ex monachis; cuius generationem non potuimus reperire. sedit annis 6. mensibus 2. diebus 4. Hic presbyteris Ecclesias dedit, & cimiteria, & parochias diocesis constituit. cuius depositio 6. Kalend. Ianuar. in cimiterio Calixti via Appia. Et cessauit Episcopatus dies 5.

XXVII.

FELIX, natione Romanus, ex patre Constantio, sedit annis 4. mensibus 3. dieb. 25. Qui constituit supra memorias martyrum Missas celebrari. Et fecit basilicam in via Aurelia, vbi martyrio coronatus, sepultus est, 3. Kalend. Iunii, millario ab urbe Roma secundo. Et cessauit Episcopatus, dies 5.

XXVIII.

EVTHICIANVS, natione Thuscus, ex patre Marino, de civitate Lunæ, sedit annum unum, mensem 1. diem 1. Hic constituit, ut fruges super altare tantum, fabæ & vuæ benedicerentur. Et sepultus est in cimiterio Calixti via Appia, 8. Kalend. Augusti. Et cessauit Episcopatus dies 8.

XXIX.

GAIVS, natione Dalmatinus, ex genere Diocletiani Imperatoris, ex patre Gaiq; sedit annis 11. mensibus 4. diebus 12. Hic consti-

constituit, ut ordines omnes sic in Ecclesia ascenderent. Si quis Episcopus esse mereretur, ut esset ostiarius, lector, exorcista, sequens subdiaconus, diaconus, presbyter, & exinde Episcopus ordinaretur. Qui fugiens persecutionem Diocletiani in cryptis habitando, martyrio coronatur, & sepultus est in cimiterio Calixti via Appia, 10. Kalend. Maii. Et cessauit Episcopatus dies II.

XXX.

MARCELLINVS, natione Romanus, ex patre Proiecto, sedit annis 9. mensibus 4. diebus 16. Quo tempore fuit persecutio magna, ut intra 30. dies, 17. hominum millia promiscui sexus per diuersas prouincias coronarentur. Inter quos ipse Marcellinus ductus est ad sacrificandum, ut thurificaret. quod & fecit. Et post paucos dies pœnitentia ductus ab eodem Diocletiano capite pro fide Christi truncatus est. Cuius corpus iacuit in platea diebus 25. & exinde Marcellus presbyter collegit noctu, & sepeluit eum via Salaria in cimiterio Priscillæ iuxta corpus sancti Crescentionis, 7. Kalend. Maii. Et cessauit Episcopatus annis 7. mensibus 7. dies 25.

XXXI.

MARCELLVS, natione Romanus, ex patre Benedicto, de regione Vialata, sedit annis 5. mens. 7. dieb. 21. Hic fecit cimiterium via Salaria, & comprehensus damnatus est in catabulo. Quo nouem mensibus exactis in oratione & ieunio nocte venit clerus eius, & exuit eum, & perduxit ad domum Lucinæ viduæ, quam dedicauit titulo sanctæ Ecclesiæ. Hoc auditio Maxentius iussit, ut ibidem animalibus deseruiret. vnde in seruitio animalium nudus amictus cilicio defunctus est. Cuius corpus collegit beata Lucina, & sepeluit in cimiterio Priscillæ, via Salaria. 17. Calend. Febr. & cessauit Episcopatus dieb. 30.

XXXII.

VSEBIVS, natione Græcus, ex medicis, sedit annis 6. mens. 1. dieb. 3. Sub huius temporibus inuenta est crux Domini 5. Non Maii à Iuda, qui post baptizatus est. Hic hæreticos inuenit, quos per manus impositionem reconciliauit. Qui etiam sepultus est in cimiterio Calixti, via Appia, 6. Non Octobris. Et cessauit Episcopatus dies 7.

XXXIII.

MELCHIADES, natione Afer, sedit annis 4. & constituit nulla ratione Dominica, aut 5. feria ieunium celebrari: fecitq; vt